



De primo humani generis flore, deque eiusdem corruptione et parakme?

<https://hdl.handle.net/1874/423585>

700

10

DE PRIMO HVMA-
NI GENERIS FLORE,
DEQVE EIVSDEM CORR-
PTIONE ET ΠΑΡΑΚΜΗ, CENSU-
ra Theologica IOH. IACOBI GRY-
NABII, de qua sustinendi agonis A-
cademici secundi ergò, die 9 Ianua-
rij, Anno 1587, in Scholis Theo-
logorum publicè

Respondebit,
MARCVS BEVMLERVS.

AD
NOBILISSIMVM IYVE-
nem, Christophorum Fridericum à Ka-
nitz, maiorum gloria & ingenij
laude florentem.



HEYDELBERGÆ,
Typis IACOBI MYLII,
M. D. LXXXV.

*HOMINIS, qui in vanitate vitæ suæ dies
consumsit, imago, è Seneca.*

*Vt qui varijs tempestatibus, huc & illuc iactatus est, nec tamen peruenit,
non multùm nauigauit, sed multùm iactatus est: Sic qui diu vixit, nec pro-
fecit ad bonos mores, non diu vixit, sed diu fuit.*

*Præceptum sanctum, cui si pia & ingeniosa Iuuentus locum,
vt par est, dederit, non consumet florem
etatis suæ in vanitate.*

*Iuueniles cupiditates fuge: sed sectare iusticiam, fidem, caritatem, pacem:
sum ijs qui inuocant DOMINVM ex puro corde. 2 Tim. 2, 22.*

CHRISTOPHORO FRIDE-
RICO, MAGNIFICI ET GENEROSI

VIRI, DN. ELIAE A KANITZ ET

DALVVITZ, in Vrskaw & Fischbach,

filiis, carisimo hospiti,

S. P. D.

IOHANNES IACOBUS GRYNÆVS.



VVM hanc de HOMINE theo-
logicam Disputationem, in A-
cademiæ Heydelbergēsis Scho-
la Theologica, instituere, ani-
mus ferret: mihi de Iudiciorū,
(quorum aleam censuramq;
illam esse subituram præuide-
bam) varietate, cogitanti: in
memoriam venit sententia,
Matronę filiū dehortantis à Reipub. administratione,
quę apud Aristotelē extat: *Si, ait illa, fili mi, iuste imperas
bis, offendes homines: sin verò iniuste, Deum.* Respondit au-
tem filius; Enimverò Reipub. procuratio mihi hanc
ipsam ob causam capeffenda est: *Nam si iuste imperabo,
placebo Deo: sin verò iniuste, hominibus: quos Astrea iam pri-
dem, vt iniustos, deseruit, terris derelictis.*

Quòd enim animaduertentem, primam partem hi-
storix, de prima hominis à Deo conditi integritate &
gloria, nemini non perinde gratam fore, quemadmo-
dum heroicorum Maiorum liberis, iucunda sunt illu-
strium progenitorum, præclarorum bello pacęq; per-
actorum κατορθωμάτων & facinorum, vera elogia: quum
tamen illos deceat non sic censeri laude suorum, vt

ipsi interim nihil futurę laudis agant, alienęq; tantum incumbant famę: Posteriores autem, diuinarum rerum imperitę, suiq; nimio amore fascinatę multitudini quidem, ided ingratam, quod hęc offenditur, in dicio & reprehensione communis tum noxę tum etiam turpitudinis suę, quam esse tegendam, nō autem retegendam, opinatur: Sophistis autem, qui, vt meritum, iustitiámque carnis stabiliant, mala quibus natura humana post Adę lapsum laborare cępit, extenuare: bonorum autem residuorum rudera, nimium amplificare, solent; modis omnibus exosam, & eorum opinione, vt nimis tragicam, condemnandam.

Iucundum sanę animali homini erit, si dixerō, Platone in Charmide teste, foribus Templi Delphici, Epigraphen hanc, Amphictyonū iussu, ascriptam: ΝΟΣ ΚΑΤΕΙΠΣΥΜ. Iudicabit enim oblatum esse argumentū amplissimum, dicendi de hominis excellentia & virtutibus. Placebit eidem, si dixerō, cum Aristotele: Nos sumus quodammodo finis omnium: cum Menandro: Ο΄ υδ̄ε γὰρ ἡμῶν ὁ θεός. Nam noster animus numen est: cum Augustino: In homine est omnis creatura: cū eodem: Humanum genus maximum ornamentum est terris: cum Gregorio in Moral. Hominum dignitas magna est, quia amici Dei vocantur.

Sed si ad eius æstimationem censuramque seueriorem accessero, tum verò, res ipsa loquetur, prudenter Thaletem, interrogatum, Quid esset facilè? Alterum admonere: Quid autem difficilè? Seipsum nosse: respondisse.

Feret tamen homo animalis, vt γνώμην ἀρίστην, illam Senecę sententiam: Quum uoles ueram hominis æstimationem meminire, & scire qualis ille sit, nudum inspicere: ponat patrimonium.

nium, ponat honores, & alia fortuna mendacia: Corpus ipsum exuat: Animum intueri, qualis, quantumque sit? Hunc enim Sapientie, quæ cœli terræque; regina prouerbio dicitur, radijs fulgidum: dignissimum esse iudicat illustri elogio Senecæ. *Cogita, in te, præter Animum nihil esse mirabile, cui magno nihil est magnum. Quid aliud uoces animum, nisi Deum in humano corpore hospitem?*

Sed si ex Spiritus sancti sententia magnifico illi hospiti, ut videtur, Sapientie, bonitatisque; laudem derogabis: si eius sociam voluntatem à bono alienam dices; si omnium in homine, qui primum suum ordinem deseruit, virium & τῶν ἐξίαι, confusionem & infirmitatem: si ad mala propensionem seruilem, te agnoscere fateberis: ingrata hæc tua oratio erit, ac tute videbere referendus inter τοὺς ἀπὸ εὐεργετημάτων ὀνειδισαίς, quorum non unum genus est.

Illud autem maximè dolendum est, etiam inter eos, qui se ciues Ecclesie ex præscripto verbi Dei reformatæ esse profitentur, & sese magnitudinem malorum (quæ lapsum primorum parentum subsequuta, totam humanam Naturam peruaserunt, eamque horribiliter corruerunt) agnoscere, atque Pelagianis imaginationibus, quæ peccans peccatum extenuant, alienos esse testantur: alios quidem, ad Manicheam hyperbolem, naturam & peccatum originis confundentem, delectere: alios, retenta pia sententia, eo potissimum peccare, quòd theoria & speculatione de re tanta contenti: ad praxin non accedunt, nec satis oderunt & detestantur membrorum legem mentis legi repugnantem, nec de mortificatione carnis, nec de Spiritus uiuificatione, deque exercitijs pietatis satis solliciti. Nihil enim attinet de Epicureis illis loqui, quibus

omnis Religio ludus est; qui & pias nostrorum Pasto-
rum conciones vel audire nolunt, vel animi causa in-
terdum accedunt, vt scilicet habeant, quod alibi spar-
gant, & sinistrè interpretando deprauent: qui nostras
Disputationes Theologicas (in quibus Christo Iesu
teste, nemo seu absens, seu præsens læditur: & Deo gra-
ta veritas placidè inquiritur & explanatur, è fontibus
sacrarum literarum) vt pomum Eridos, non vt argu-
mentum proficiendi in vera pietate, auidè arripiunt,
(sed sinistra, vt ille exotericus dixit, id apprehenden-
tes, quod offertur dextera) qui deniq; mihi simillimi
esse videntur Atheniensibus, de quibus Lucas Euan-
gelista in hunc modum pronunciauit: Cæterùm A-
thenienses, & aduenæ hospites, nulli alij rei vacabant
nisi ad dicendum & audiendum aliquid noui. Acto-
rum 17. 21.

Nos hisce, quibus precamur mentem meliorem,
omissis: eos, quibus dedit D. Iesus, vt piam de HOMINE
doctrinam rectè intelligant, amanter oramus, vt me-
minerint, Sanctis, non tantùm scientiæ, sed etiam
conscientiæ & veræ pietatis exercitiorum, præcipuam
habendam rationem; vt in seipsos descendant, & car-
ni, quæ Spiritui repugnat, mortificandæ studeant: ne
sint similes ciuibus Empedoclis, qui ita agitabant cõ-
uiuia, ac si craftino die essent morituri: ita ædificabãt,
& opibus congerendis intenti erant, ac si perpetuò vi-
cturi essent. Similes enim istis sunt, qui perinde vitam
moresq; suos instituunt, ac si, & Christianæ Religionis
finis foret, sola scientia; non autem timor Domini: &
ipsi de longissima vitæ periodo, à Deo, cœlitus, Angelo
Gabriele internuncio, respõso accepto, edocti: nõ ne-
cesse haberent, tempore visitationis suæ, conuerti ex
toto

roto corde ad Dominum, coram cuius tribunali nos omnes sisti, & etiam de omni ocioso verbo rationem reddere, suo tempore, oportebit.

Ego sanè, ad Dei gloriam, hoc profitebor, quod ille omnium optimè nouit, me & piorum nostrorum Pastorum sanctis exhortationibus: & Crucis Christi iugi magisterio: & mortalitatis meæ pyrite, admonitum, domitumq;: hoc nomine mihi gratulari, quòd sentiam me non esse *μυσοπάταρον* in Theologia, nec tam de eo laborare, nihil vt nescire videar in abyssò diuinæ sapientiæ: quàm vt per Spiritus sancti gratiam, in timore Dei & tremore viuam: luuentuti, sanæ doctrinæ formam commendem: & non multò post tranquillo animo ad Dominum meum Iesum Christum, qui mihi quoq;, & in vita & in morte lucrū est, & cum quo viuere multò meliùs mihi fuerit, migrem: ac vel morte mea, ei, moderationis argumentū suggeram, qui nuper, à me nec dicto nec factò læsus, immani sua barbarie, mihi molestus esse voluit: & fecit, vt præter meum propositum moremq; liberè me tuerer ipse: quem etiam silentem facilè tuebitur, omnipotens Iesu Christi Domini mei dextera: & à contumelia omni vindicabit, eiusdem ineffabilis erga me aliosq; seruos suos bonitas.

Visum autem mihi est, Nobilissime KANITZI, tuum nomen huic Tractationi præfigere, non eam solum ob causam, vt haberes mei conuictus, quo nuper uti & frui cœpisti, vnà cum Ephoro studiorum tuorū, eruditissimo homine, Iohanne Spechtio, aliquod *μυσοπαταρον*: sed, vt de alijs quibusdam rebus, quæ mihi in mentem venire solent, quum te mensæ meæ assidere conspicer, & cum nobilibus lectissimisq; hospitibus cæteris,

cæteris, domus meæ hoc tempore ornamentis, eruditè & modestè colloquentem de bonis rebus, audio: numero tecum agam. Patrem tibi virum generosum, D. N. ELIAM, sapientiæ ciuilibis ac togatæ fortitudinis laude eminentem: veræ autem Religionis studio eminentissimum esse, intelligo. Hunc tu, secundū Deum, sic reuerere, sic virtute veræ & doctrinæ solidæ studio, exhilarato: Vt non tam sit cur tute de tanto glorieris parente: quàm vt ille sibi, tali ingenio, tanta virtute filium, diuino munere datum, gratulari possit. Magnū quoddam bonæ naturæ documentum est, optimos parentes, dolore quidem nunquam: semper autem gaudio, vt afficias, habere propositum.

Intuere etiam exempla heroiicorum hominum, quibus cum familiariter iam quoque versaris, illustris D. EBERHARDI, Comitis Solmensis, Academiæ nostræ Rectoris hoc tempore Magnifici, cæterorumq; florentissimorum Nobilium, quorum neminem non esse verè *σπουδαίον*, hoc est, virtutum, pietatis, prudentiæq; ciuilibis studiosum, facillè animaduertis. Delectantur enim, qui bona sunt indole, exemplorum magisterio, quod nequaquam mutum esse experiuntur. Imitare tamen in omnibus bonis *τὰ ἕγχα*: & te totum quotidie Spiritui sancto regendum committe: quem toto pectore oro, vt te, cæterosq; equestris ordinis homines, gubernet boni publici causa, vt ipsi grata fiant in Repub. Vale, & Deo soli viue, ad eumq; per Mundi contemptum, pede inoffenso contende: quando seculi huius species præterit. Heydelbergæ. Calend. Ian. 1585.

ANTHROPOLOGIAE CHRIS-
TIANAE DVO PRIMA CAPI-
ta, Thesisibus aliquot com-
prehensa.

I.



*V*T Homo in vera sui ipsius cognitione profice-
re possit, ex praescripto verbi Dei, breviam
seipsum considerare debet: primum quidem,
qualis in primo Adamo, generis humani
initio fuerit, à Deo conditus: ac postea
immutatus, horribiliterq; deformatus, in eodem
esse coeperit: deinde vero, qualis per regenerationis gratiam, in ses-
cundo Adamo, saluatore nostro Iesu Christo, reformatus & refor-
matus, esse incipiat: & ad quod perfectionis suae complementum,
per bonorum operum stadium, Spiritu sancto eum illuminante &
regente, contendat.

II.

Limpidissimum salutaris istius Theoriae de Homine fon-
tem, aperuit nobis Apostolus Paulus, illustri hac sententia: Quas
lis terrenus ille (Adamum primum intelligit) tales & qui terreni
sunt: & qualis ille caelestis (Dominum Iesum Christum sic vocat)
tales & qui caelestes sunt. Et sicut gestauimus imaginem terreni,
gestabimus & imaginem caelestis, 1 Cor. 15. 48. 49.

III.

Propositum autem nobis est (in hac quidem disputatione)
de priore hominis conditione, quam cum Adamo terreno commu-
nem habet, ea quae nobis sacras literas legentibus Dominus aperuit,
methodicè explanare. Dominus IESVS adsit nobis suo sancto
Spiritu, & ducat nos in omnem veritatem. Amen.

B

Adamus

IIII.

Adamus homo primus, conditus est ante annos 5547, ut quidam Chronographi perhibent: & quidem sexto die primæ septimane Mundi. Septimo enim Mundi die Opifex Op. Max. quieuit, Sabbathumq; creationis celebravit, Gen. 1. 27. 31 & 2. 1.

V.

Sed enim in primo illo Adamo, non iam Individuum solum, cuius historiam Moses sapienter descripsit: sed Naturam potius humanam considerabimus: quando illud constat, dotes Naturæ humanæ ab Architecto sapientissimo & benignissimo inditas & concessas, Adamum sibi & suis tum accepisse, tum etiam pro dolor, amisisse.

VI.

Ut autem piæ & studiosæ mentes, habeant $\sigma\omega\mu\alpha\tau\omicron\pi\omicron\iota\sigma\iota\sigma\iota\mu$ quandam totius de homine Adamico doctrinæ, Finitionem eius præmittamus: ac eiusdem Anatomem subiungemus: Sanctorum, ex præscripto Canonice Scripturæ iudicantium, censura, omnia reuerenter subiicientes.

Hominis
finitio.

Homo est Dei Creatura, omnium (secundum tamen Angelos) nobilissima, quando ut ipsius causa ceteræ res inferiores, sic ipsa Dei causa est condita: constans Corpore, Anima & Spiritu, ac proinde Mundi vinculum: quæ initio quidem ad imaginem Architecti condita, præstantissimis bonis excelluit, à malis plane immunis fuit: sic tamen ut mutabiliter esset bona: postea verò, à Satana seducta, Terreni patris imaginem (amissis maximis bonis, & accersitis ingentibus malis) gestare, & obnoxia esse capit omnium generis calamitatibus & primæ secundaq; morti: à quibus omnibus illa, suis viribus, nullo modo sese liberare & vindicare potest.

VII.

Definitionem hanc licebit $\delta\iota\chi\omicron\tau\omicron\mu\sigma\iota\sigma\iota$, seu in duas partes, (quarum altera est, de Hominis recens conditi integritate, glor

riaq;

riaq̄, altera de eiusdem τῆ παρολογία, corruptione & turpitudine) rectè partiri. Verumque enim Statum, posteriorum primo parente communem habent: quando in illius lumbis fuerunt, non minus praeclarissimarum dotium, quibus ille initio fuit instructus, consortes futuri, si is nunquam peccauisset: quàm nunc sunt participes malorum, in quorum ille, sese suosq̄, posteros coniecit barathrum. Atque haec nimirum causa iusta est, cuius gratia Deus, perinde nos alloquitur, ac si integri essemus: & legi suae vult à nobis satisfieri, quia tales initio condidit, vt ei satisfacere possemus: nos verò spontaneo lapsu, eo nos rosq̄ nostras adduximus, vt iam soluendo non simus: debitores interim maneamus.

VIII.

Genus est, Creatura. Hoc autem geminam in Scripturis sanctis significationem habet. Alias, ἡ κτίσις, res creata, aut Creatura significat, rem à Deo conditam, certi finis causa, Rom. 8. 19. 20. Alias, rem instauratam ad gloriam gratiae Dei, vt dicitur: In Christo Iesu neque circumcisio quicquam valet, neque praepitium: sed noua Creatura, Gal. 6. 15. Hic autem, in dissertatione de homine primo, Creaturae vocabulum significat Naturam rationalem, cuius certum initium est, & quae non à seipsa exstitit, sed ab alio condita est, propter certos fines.

IX.

Efficiens princeps causa, seu Conditor hominis, Deus est, Iuxta haec dicta: An non Pater vnus est omnibus nobis? An non Deus vnus creauit nos? Malach. 2. 10. Item, Qui fuit Adam, qui fuit Dei, Luc. 3. 38. Hunc ergo auctorem & conditorem generis humani agnoscimus & celebremus, de quo & Apostolus noster, in Oratione ad Athenienses, ita pronunciauit: Deus condidit ex vno sanguine omne genus hominum, vt habitarent per vniuersam superficiem terrae, Act. 17. 26.

X.

Differentia est, Omnium nobilissima, sed tamen secundum Angelos. Merito enim omnium nobilissima Creatura homo habetur, quando cetera creatura eius causa sunt condita, ut illius feruiant visibus: ipse vero Dei causa creatus est, ut sit declaranda misericordia & iustitia Dei, instrumentum. Cuius enim finis praestantior est, id ipsum quoque est praestantius. Huc accedit, quod idem $\mu\eta\gamma\acute{o}\rho\sigma\mu\omicron\sigma$ est, & Mundi vinculum, ut qui sit medius inter Spiritus à Deo conditos, & Corporatas, animatasque substantias: verorumque, videlicet Naturae consors.

Esti autem Natura Angelica, quum sit merè Spirituális, humana, quae corporata partim est, & culinam animali vitæ necessariam, requirit, praestantior est. Iuxta illud: Tu fecisti eum paullisper subsidere infra Angelos, Psal. 8. 5: Tamen, quum & Angeli administratores Spiritus, ministerij causa mittantur, propter eos qui heredes erunt salutis: & aeternus ille $\lambda\acute{o}\gamma\omicron\varsigma$, Dei Patris filius coessentialis, non Angelos assumeret, sed semen Abrahae, quae sit humana Natura excellentia, non iam est obscurum.

XI.

Finis eius, cuius, est, ut Homo, dominium in inferiorum ordinum creaturas, visibus suis accommodatum, obtinens: sibi, suis & toti hominum societati, summa cum virtute, $\epsilon\upsilon\theta\upsilon\mu\acute{\iota}\alpha$ & tranquillitate, felicitateque, viuat, & Numinis cuiusdam terreni instar sit: tanto felicitior, quanto maiore timoris & amoris cultu Deum verumque, tota vita concelebrat.

XII.

Finis eius, cui, erat, ut Homo Deum auctorem omnis boni, illustri agnitione, ardentissimoque amore, omniumque virium suarum conspiratione ad obedientiam illi praestandam, coleret & reuereretur: inque eo vno, qui $\alpha\upsilon\tau\omicron\alpha\gamma\alpha\delta\epsilon\sigma\tau$ est, suavissime libentissimeque, acquiesceret.

XIII.

Partes essentialis hominis sunt Mens, Anima, Corpus: Iuxta illud

illud Apostoli Pauli testimonium: Ipse autem Deus pacis auctor, sanctificet vos totos: & integer vester Spiritus & Anima & Corpus in aduentum Domini nostri Iesu Christi seruentur. 1. Thess. 5. 23. Si quis mavult duas partes statuere, Animum & Corpus, non admodum pugnabit cum sententia Apostoli, modo rationali Anima, donec ea in Corporis domicilio versatur, facultates inferiores & organicas non deesse statuas.

XIIII.

Materia ex qua primi hominis organicum Corpus formatum est, declaratur his dictis: Formauerat igitur Iehouah Deus hominem e puluere terra, Gen. 2. 7. Item, Primus homo e terra, terrestrius, 1. Cor. 15. 47.

De procreationis autem & propagationis hominum principijs dicitur: Non est abscondita osium meorum compages abs te, qui firmatus sum in occulto, & opere phrygionico contextus in infimis partibus terra. In forme meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnia ista scribebantur, & dies quibus formabantur; quum non extaret vnus ex ipsis, Psal. 139. 15. 16.

Aristoteles in Oeconomicis, finem o[mn]i procreationis liberorum, recte exposuit, quum diceret; Parentes in senio inualidos effectos, a liberis robore & alijs dotibus praeditis esse iuuandos. Sed Plato finem e recte quoque exposuit, qui est, vt parentes possent se alios Dei cultores relinquunt.

XV.

De Anima vegetante, sentiente, locomouente (cuius sunt organicae facultates) quae ex traduce est, & quae etiam in brutis viget ac mortalis est, dicitur: Anima cuiuscunq; Carnis est in sanguine eius (qui est) anima ipsa: dixitq; filijs Israel, Sanguinem cuiuscunq; Carnis non comedetis: quia anima cuiuscunq; Carnis est sanguis eius: quicumq; comederit illum, excidetur, Leuit. 17. 14.

XVI.

Substantialis autem hominis forma est *Animus*, hoc est, *Spiritus* creatus à Deo, intelligens, immortalis, qui quum è corpore discedit, non in nihilum redigitur, aut in auras dissoluitur. De hoc dixit in agone suo *Saluator* noster, moriendo mortem vincens: *Pater*, in manus tuas depono *Spiritum* meum, *Luc.* 23. 46. Et *Stephanus* protomartyr, in suo agone, *Domine* *Iesu*, ait, suscipe *Spiritum* meum, *Act.* 7. 59.

Quomodo inspirando homini primo hic *Spiritus* communicatus sit, testantur hæc verba: Formauerat igitur *Iehouah* *Deus* hominem è puluere terræ, inspiraueratq; in faciem eius spiraculum vitæ, & fuit homo in animam viuentem, *Gen.* 2. 7. Ex hoc dicto colligimus, multam inter esse inter animam humanam, eius inquam quæ rationalis est, & inter animarum brutorum animantium originem. Hæ enim ex eadem materia, è qua & corpora eorundem formata sunt, ortum duxerunt: & sunt ex eadem si propagationem spectes. Illa verò, est spiritualis substantia, quæ diuinitus est inspirata: ac rectè de hac dixit *Aristoteles*: *ἀείπεται ἄγατόν ἐστι πρὸ θυγαδὲς ἐπιείκειαν ἡδὲ ὁμοίωσιν*: Restat vt statuamus forinsecus Mentem intrare, ac hanc solam quiddam diuinum esse.

XVII.

Ex his autem, quæ iam diximus, liquet, quid de exotericorum Philosophorum opinionibus sic pie menti statuendum: Animum esse mentem, sine corpore, esse numerum, *Xenocrates* censuit. Animum celestem ex altissimo domicilio depressum, & quasi demersum in terram, locum diuinæ naturæ æternitatiq; contrarium, *Cato* maior pronunciauit. Animum esse qui viget, qui sentit, qui meminit, qui prouidet & moderatur, & mouet id corpus, cui præpositus est, *Scipio Africanus*, iudicauit. Animum à Deo generatum, *Cicero* docuit. Animum hominis harmoniam esse, *Aristoxenus* dixit. Hæc & similia satis eruditè verèq; dicta censerì debent. Falsa autem sunt, & hyperbolica, ea quæ atroxemus. *Animus* hominis
nibus

nibus datus est ex illis sempiternis ignibus, quae sidera & stelle dicuntur, Cicero in Somnio Scipionis. Item, Animus humanus decerptus ex mente diuina, cum alio nullo, nisi cum ipso Deo, si hoc fas est dictu, comparari potest, Idem, Tusc. quast. l. 5. Item, Animus, iuxta Empedoclem, est cordi suffusus sanguis. Item, Animus, Zenoni Secico, ignis est. Tusc. q. 1.

De Corpore, quod & ad vitam conditum est, & Templum Dei esse debet, satis contumeliose Ethnici, sepulcro illud comparantes, sunt locuti. Placet tamen illud Seneca: Quantum potes circumscribe corpus tuum, & locum animo laxa.

XVIII.

De procreatione & propagatione hominum, persuasum habemus à primis Parentibus ortum ducentes, Corpora & Animarum facultates organicas, mediata, à proximis parentibus suae carnis: Spiritus verò immediata, à Deo, Patre Spirituum, obtinere. Fas temur autem nos per moueri his potissimum rationibus.

1. Quod Paulus, ut Deum Spirituum patrem: sic Parentes, corporum patres vocat, Hebr. 12. 9. Et Moses, vna cum fratre Aarone, dixit: Deus Deus Spirituum vniuersae carnis, &c. Num. 16. 22.

2. Quod absurdum est de potentia materiae, animam λογικὴν educere.

3. Quod, Mens humana, non est corruptibilis, quia non est composita, ut quae naturae elementaris non sit, quando notitias habet insitas, non aliunde acceptas: ut recte etiam Plato, in Phaedone, collegit.

4. Quod (Secundum regulam: Dato vno inconueniente, sequuntur plura) concessa hac falsa hypothese: Anima rationalis est ex traduce, sequitur, aut totam traduci, aut eius partem. Si tota traducitur, necesse est parentes interire: si pars, tum sequitur & μὴ ἴσως & simplicem essentiam diuidi posse: quorum vtrumque est absurdum.

Homias

XIX.

Hominem μικρόκοσμος dictum, Mundiꝫ vinculum, non mirabuntur, qui Spiritu quidem Spiritibus: Corpore autem rebus corporatis, coniunctum esse: & qui essentie sue, ijs qua sunt: vita, ijs qua viuunt: sensus, ijs qua sentiunt: motus, ijs qua mouentur: intelligentia deniqꝫ ratione, Angelis beatis cognatum esse: ac dominari inferioribus creaturis, & quoddam ius vsus, vita, necisqꝫ in animantia obtinere, animaduertunt.

Nec sanè falsa sunt hæc Aristotelis dicta: Nos homines sumus quodammodo finis omnium: scilicet eorum, qua nostra causa Deus condidit, Phys. 2: & idem de long. & br. vit. Homo est animalium rectissimum.

XX.

Sed iam omisis φιλοσοφούμενοις (de quibus alio loco & tempore differendum est, & qua παρέρωσαντὸν, velut emblemata aspergere placuit) nostra θεολογούμενα, potius tractemus.

Forma hominis, sed accidentalis, de qua Theologi potissimum differunt, à Prophetarum coryphæo Mose, magnificè celebratur hac sententia Dei voce adducta: Faciamus hominem ad imaginem nostram, secundum similitudinem nostram, & dominetur &c. Gen. 1. 26. 27. Item, Deus fecit hominem rectum, Eccl. 7. 30.

Quid autem sit isthæc Dei imago, hoc dicto Paulus docuit: Res nouari verò Spiritu mentis vestrae, & induere nouum illum hominem, qui secundum Deum conditus est, ad iusticiam & sanctitatem veram, Eph. 4. 23. 24.

XXI.

Ut ergo conditor hominis, æternus ὁ λόγος, Filius Dei, Sapientia ὑψιστάμενη, est essentialis imago Dei inconspicui, Col. 1. 15, splendor gloria, & character personæ illius, Heb. 1. 3, ac rectè pronunciauit Athanasius, Dialogo 1, τὸν χαρακτήρα τῆς ὑποστάσεως. ὃ δ' ἐμ' ἄλλο νοῦν, ἢ εἰκόνα εἶναι τῆς ὑποστάσεως: sic in
hominis

homine recens condito, accidentalis Dei imago, iusticia & sancti-
tatis radijs illustris, magnopere fulsit.

XXII.

Fuit tum homo bonus, purus, sacer: sed tamen mutabiliter.
Neque enim sapientissimo & optimo Opifici visum est, Deum,
qui immutabiliter bonus esset, creare: sed hominem, qui vna cum
suis posteris idoneum esset, declaranda tum iusticia tum misericor-
dia Dei, argumentum. Nec Deus homini obligatus erat ad dan-
dum ea bona, quibus ipsum instruxit; nedum ad maiora bona &
ornamenta quae Dei solius propria sunt, & eum à creaturis discri-
minant.

XXIII.

Erat tum in primo Homine, omnium eius partium, viriumq;
admirabilis perfectio, dulcissima harmonia, maxima gloria.

Spiritus, Mentem, Voluntatemq; complectens, potissimum
excelluit iusticia originali, & immortalitate beata. Fulsit enim
in illius Mente, illustris & beata Dei conditoris voluntatisq;
eius, agnitio: tanquam radius diuinae lucis & sapientiae. Voluntas
suauissime in eadem acquieuit, donec illa integritas in homine
durauit.

Anima autem illius, tum excelluit omnium suarum facul-
tatum symmetria, agilitateq;: sine vllis impedimentis functionum
naturalium, quae & iucunda homini sunt & necessariae.

Corpus deniq;, etsi compositum erat e suis elementis: tamen
humorum corruptionis plane expers: *εὐεξία*, optimo temperamen-
to, & vigore sensuum excellens, non erat (donec inquam homo non
peccauit) dissolutioni per mortem obnoxium: ac reuera fuit non
Animi solummodo domicilium, sed etiam sanctum quoddam Spi-
ritus sancti templum: & officina instrumentorum multarum pul-
cerrimarum virtutum.

C

XXIIII.

XXIII.

Ut numerò multa dicamus, quibus cognitio facile erit iudicium & de multis alijs, superioribus hac Axiomata addemus.

1. De fine. Homo, non sua potissimum, sed Dei causa conditus est.

2. De cultu. Ideò Spiritum increatum summèq; bonum, spiritu summe eum colere, oportuit.

3. De Sacramentis. Et vitæ & obedientiæ Sacramentis contentus esse poterat. Illud autem erat vitæ arbor: hoc autem scientiæ boni & mali arbor, à cuius fructibus homini erat abstinendum.

4. De vita animali. Dotes corporis, vitæ præsidia, ordo conjugalis, nihil tum habebant, quod esset profanum.

5. De vita spirituali. Spiritus autem dotes, vitæ Dei in homine, ordo inter Deum & hominem, nihil habebant quod non esset sanctum & salutare & eximium.

XXV.

Quàm diu primis nostris Parentibus, hac beata conditione vitæ & frui, inq; Paradiso versari licuerit, περιεργον, nimisque curiosum foret, certo temporis spacio definire: quando Spiritui sancto in diuinis Scripturis, de circumstantia temporis, aliquid scrupulose iudicare, non fuit integrum. Ioannes Chrysostomus, ipso die sexto, quo conditus erat Adam, hora sexta, vna cum Eva è Paradiso eiectum, in Exposit. Matthæi, pronunciauit. Verùm eius opinionem, non admodum respondent illa capita historie, de nominibus omni generi animantium ab Adamo, ad quem illa adducta fuerunt, prius inditis: de gustu fructuum arborum Paradisi, de Eue creatione, de Matrimonij institutione, denique & de Sabbatho, à Mose memoria prodita. Nobis sanè placet Cedreni opiniones eade re percipientis gnome præclara: *ὡς δὲ χριστὸς ἡμεῖς παραίτερον τὰ τῆ θεοπνεύσω γράφῃ ὑπὸ τῷ ἁγίῳ πνεύματι ὁμοσεσημασμένα ἵνα μὴ ἀνὰ κέρδιον μικρῶ, μετὰ γὰρ ἐπιπρασώμεθα ζημίαν.*

XXVII

XXVI.

Sequitur ea pars historiae de Homine, quae omnium est tri- Transitio.
 stissima, quando de eiusdem παρακμή, & corruptione, agit, & ani-
 mali homini insuave melos occinit. De ea quum sint magna con-
 troverſia, alijs nullum propè in homine vitium, malumq̃ agno-
 ſcentibus; alijs illud malè deſinientibus, nos Medicorum elegan-
 tium methodum ſequuti, primò συμφορών, de ſignis tanti mali:
 deinde, τῆρ παθολογίαν, de ſpecie mali, eiſque magnitudine: po-
 ſtremò, τῆρ θεραπευτικῆρ, de mali remedijs, quàm breuiſſimè fieri
 poterit, tractabimus.

XXVII.

Pathognomonica ſigna, & effectus maximi illius mali, quod
 totam humanam Naturam peruaſit, Primum in corde incircum-
 ciſo & lapideo conſpiciuntur, quòd omni ψυχῆσ homini inimicis
 tias cum Deo exercere & θεομαχίη, Rom. 5. 10, & eiſ cauſſa
 capitali perpetuoq̃ odio Eccleſiam proſequi, Pſal. 14. 4. nulla plas
 nè religio eſt. Deinde, in totius vitæ habitu, ſtudijs & actionibus:
 in quibus nihil præter Opera carnis interiora & exteriora, depre-
 hendas. Non eſt, ait Paulus, qui intelligat, non eſt qui exquirat
 Deum. Omnes deflexerunt, ſimul inuſiles facti ſunt: non eſt qui
 faciat quòd bonum eſt, non eſt uſque ad vnum. Sepulcrum pa-
 tens eſt guttur eorum, &c. Rom. 3. 11. &c. Et ad Gal. 5. 19: Porro,
 manifeſta ſunt opera carnis: quæ ſunt adulterium, ſcortatio, impu-
 ritas, proceruia, &c. Poſtremò, in auctoamento peccati, videli-
 cet, in Morte hominis, & multiplicibus calamitatibus, quibus ex-
 poſita eſt hominum vita. Quare enim homo (vt admodum pathet-
 icè apud Sto bæum loquitur Ariſtoteles) eſt, imbecillitatis et
 exemplum, temporis ſpolium, fortuna luſus, inconſtancia imago,
 inuidiæ & calamitatis trutina: reliquum verò pituita & bilis: niſi
 quia Dei, qui ſummum bonum eſt, hoſtis factus, ordine ſuo deſere-
 to, ſuo malo merito inſeliciffimus factus eſt & abominandus?

XXVIII.

Retinuit quidem Homo post lapsum Ethicas quasdam & Physicas dotes: sed ita, ut magnificentissimi cuiusdam edificij ruderata, præiudicio iam essent homini.

κοινὰ ἔννοιαι, Noticia Principiorum Speculabilium & Prætorum: ipsumq; adeo Legis opus cordibus hominum inscriptum, eos inexcusabiles iam faciunt: teste Paulo. Rom. 1 & 2.

Vita corporis, robur, vigor sensuum, vis procreatrix, qualitates quæ sunt actionum fontes: sunt eorundem ingratitude nis hominum erga Deum testes.

Superiora bona, quæ sunt vitæ spiritualis documenta & præsidia amisit homo, ut lucem veræ agnitionis Dei Redemptoris & voluntatis eius, rectitudinem & bonitatem omnium virum, &c.

XXIX.

De Pathologia istud monere libet, Quum de totius humana Naturæ corruptione agitur, aliud esse, de substantia, aliud autem de qualitatibus & accidentibus, iudicium.

Animi humani essentia corrupta non est: neque enim citra Epicuream imaginationem de mortalitate animi humani, corruptio pro aliqua, ei affingi potest.

At si qualitates eius spectes, corruptus esse dicitur, tam intelligentiæ quam voluntatis ratione. Iuxta illud: Non est qui intelligat, non est qui exquirat Deum, Rom. 3. 11. Item, Animalis autem homo non est capax eorum quæ sunt Spiritus Dei. sunt enim ei stulticia, nec potest ea cognoscere, quia spiritualiter dijudicantur, 1 Cor. 2. 14. Item, Ego carnalis sum, venditus ut subijcerer peccato. Quod enim perpetro, non agnosco. non enim quod volo, hoc ago: sed quod odi, hac facio, Rom. 7. 14. 15.

XXX.

Cuiusmodi sit in homine animali τὸ ἠγεμονικόν, ostendit Paulus, cum ait: Genes in vanitate mentis suæ versantur, Eph. 4. 17.

Qualis

Qualis etiam διάνοια sit, qua in apprehensione, compositione & diuisione simplicium, facultateq; imaginatrice & memoria eminere, idem docet, quando subiungit: Cogitationem habentes obscuratam, & abalienatam à vita Dei, propter ignorantiam qua est in eis, v. 18.

Denique, quale sit τὸ δουραδ' ἐξ ὕλης τὸ ἐπιθυμιανόον, in homine animali, eodem versu exposuit Apostolus, hac verba addens: Ex obduratione cordis eorum. Distinxit quidem Plato, secundum subiecta illas facultates, quarum alteram in corde, in iecinore alteram sedem suam habere iudicauit: sed Paulus noster, generatim Cordis vocabulo illas complexus est: de quo grauissimè queritur Ieremias: Fraudulentum est cor hominis præ omnibus, & peruersum: quis cognoscerit illud? Cap. 17. 9.

XXXI.

Corporis humani essentiam deprauatam esse, eoque illud mortale esse, nemo ignorat.

Etsi autem peccatum originis in anima est & in eius potentijs; corpus autem materia hominis est, qui quum peccat, eo, ceu instrumeto abutitur: tamen, nulla iniuria afficitur corpus, quando illius causa mortale est: propter has grauissimas causas.

1. Quòd corpus animalis hominis animatum peccati instrumentum est; imò est armamentarium, quod tot ferè iniusticiis armis, quot membris, constat. Rom. 6. 13.

2. Quòd idem illecebris obiectorum titillatum, animam ad peccandum sapissimè sollicitat & impellit.

3. Quòd neutiquam sit æquum, vt vnquam melius sit Corpori, quàm Animo, quum huius causa illud sit conditum: nec animus sine Corpore actualia peccata absoluat.

4. Quòd citra omnem controuersiam, iustissima est iudicis Dei, de corporis per mortem dissolutione sententia. Heb. 9. 27.

Huc non nihil faciunt hæc dicta: Corpus corruptioni obs

noxium aggrauat animam, terrenumq; domicilium plenum curarum mentem deprimit, Sap. 9. 15. Et illud exotericum: In prauis, ait Aristoteles, & malè dispositis, Corpus dominatur Anima. Item, Quocunq; pergimus, ait Hieronymus, nobiscum inimicum portamus. Corpore, ait Ioan. Chrysof. molli & delicato reddito, necesse est & animum participare ex corporis morbo.

XXXII.

Et si autem ita malè affectum corpus homo animalis fouet: tamen operosissimam eius curam experitur. Opus enim illi est hospitio, vestitu, cibo, potu, medicamentis, aduersus tempestatum, morborumq; iniurias. Habenda est accurata ratio somni & vigiliarum, aëris, aqua, quietis, exercitiorum & multorum aliorum. Et tamen tandem dissoluitur Corpus illud exanclatum, id est, ut verè Cicero eleganterq; dixit, exhaustū ærumnis, cruciatibusq; debilitatum. Est autem mirum πᾶσι in hac eiusdem sententia: Corporis omnis coagmentatio, vel calore, vel frigore, vel aliqua impulsione vehementi labefactatur & frangitur, & ad morbos senectutemq; impellicur.

Sic scilicet Deus voluptatum corporis nimias delicias diluit, nimium studium abrumpit.

XXXIII.

Manichea tamen hyperbole est, opinio quæ confundit Naturam humanam & Originis peccatum. Non enim substantia à Deo condita, confundi debet cum vitioso accidente. Constat autem Naturam hominū à Deo conditam, Peccatū autem esse accidens vitiosum, quod in homine habitare cepit, post eius lapsum, Rom. 5. 12, & 7. 17. 20: quod ἡ ἁμαρτία, seu peccatum ad nos circūcingendos procliuè vocatur, Hebr. 12. 1, quod abolebitur, vbi humana natura in Elestis planè fuerit instaurata: quod deniq; non initio fuit, quum homo esset conditus. Sed quia nemo ferè amplius hanc hyperbolen propugnat: de ea non agam pluribus: ne de causa

caussa deserta laborare: & quod prouerbio dici solet, malum bene
conditum sepultumq̄, mouere, & refodere videar.

XXXIIII.

Pelagianum autem ^{ἐξ οὐδενος μὴ οὐκ} seu extenuationem Peccati
peccantis: & ex ea natam, liberi arbitrij in homine nondum rege-
nitosese ad gratiam applicantis, assertionem: qua quantum viris
bus humanis, ac proinde & meritis humanis assignit, tantundem
Domini nostri Iesu Christi meritis derogat, quocunq̄ tandem So-
phistico fuce illa duo pingantur, nos tamen cum vera, catholica
Christi Ecclesia, serio improbamus: quando persuasum habemus,
hominem nasci in peccato originis: naturâ filium iræ esse: mor-
tuum esse in offensis & peccatis: seruum esse peccati: omnem ima-
ginationem cogitationum cordis tantummodò esse malum omni
die: carnẽ esse hominem: cor eius lapideum & runcumcisum esse:
venditum esse vt subijceretur peccato: secundum carnem viuere:
peccatum ei dominari: vt diuersis in locis Scriptura sancta tes-
tatur.

XXXV.

Valde autem nobis placet illud Augustini dictum: Sicut cæcis
tas cordis peccatum est, quia in Deum non creditur: & pœna peccati,
qua cor superbum digna animaduersione punitur: & causa
peccati, quum mali aliquid cæci cordis errore committitur. Doc-
cet enim eandem esse Concupiscentiæ carnis rationem: addens hæc
verba: Quid verò illa est concupiscentia carnis, aduersus quam
bonus concupiscit Spiritus? Pœna est peccati, quia reddita est
meritis inobediens: est & causa peccati, defectione consensien-
tis, vel contagione nascentis.

Cum Prospero autem improbamus hanc Casiani, opinionem
merè Pelagianam: Deus, quum in nobis ortum bonæ voluntatis
viderit, quam vel ipse plantauit, vel nostro conatu viderit emera-
sisse, confestim illuminat, confortat &c. Item, Euidenter appa-
ret,

vet, etiam per natura bonum, quod beneficio Creatoris indultum
est, nonnunquam bonarum voluntatum prodire principia: quia
Paulus dicit, velle adiacet mihi.

XXXVI.

Coronidis loco quadam de Ethnica Therapeutica addemus:
nam, si Christus volet, de Christiana, proxima disputatione ages
mus.

1. Quod arcanum illud de Deo in carne patefaciendo, omnino
ignotum esset Gentibus profanis: de eo cognoscendo non laboras
uerunt.

2. Caliginem mentium, Philosophiae luce & indagatione veri,
discutere conati sunt: ac magnifice profecto dixit Aristoteles:
ἄμα δὲ καὶ οἱ ἄνθρωποι πρὸς τὸ ἀληθὲς πεφύκασιρ ἰκανῶς, καὶ
τὰ πλείω τῶν χάρισσιρ ἀληθείας: quod veritatis, in abdito latens
est, igniculi reliqui sint in natura. Sed haec ipsa veritas, in iniustitia
decenta, inexcusabiles facit homines: vt Paulus ad Rom. 1. pro-
lixè docet.

3. Vt in virtutum exercitio, ac disciplina stadio sese suosq; contis-
nerent, Moralem Philosophiam & Leges inculcandas, censues-
runt: & suos habuerunt Νομοφύλακας. Sed, quum alieni essent à
fide Christi, imagines potius virtutum, quàm ipsas virtutes, sectas
ei sunt.

4. Vt vitæ crimina expiarent, victimas & lustralem asper-
sionem, aliâq; ab ipsismet Ethnicis irrita, adhibuerunt. Noti sunt
versus:

Quum sis ipse nocens moritur cur victima pro te?
Stulticia est morte alterius sperare salutem. Item,

—Frontemq; atque vda labella

Infami digito, & lustralibus ante saluiis

Expiat—

Apud Athenaeum extat & Cyrenai versiculus:

τρεῖς δ' ἀπομαξαμένοισι θεοὶ δ' ἰδ' ἑασίτη' ἀμενον:

Ter verò absterfis melius bona numina donant.

Festiuum autem est illud Diogenis, qui conspiciatus quendam lustrali aqua, religionis causa, sese aspergentem: Infelix, ait, cur erratum Ethicum aqua lustrali potius, quàm Grammaticum, abstergi posse putas?

5. Medicis elegantibus & experientibus Corporis curam Ethnici commendârunt quidem: sed ea lege & omine, ut sæpius Agyriis indoctis & Empiricis medicastris, locus esset: ut testantur iusta Galeni querimonia.

Omnia autem illa σοφὰ φάρμακα fuerunt, ut vniuersalis & tristissima Ethnicorum experientia testata est: de qua inter disserendum, si necesse fuerit, pluribus agemus. Per scriptum Heidelbergæ, Calendis Ianuarij, ineuntis anni 1585, qui vti-
nam Ecclesiæ & Reipub. Christiana sit
faustus & tranquillus.

F I N I S.

D

SERVI CHRISTI IV,
GIS PRECATIO.

NON EGO DVRA PATI DISCRIMINA MIL-
LE RECUSO,

DVM TVA CONSTANTI TVBOR MANDATA
LABORE.

SED NE DEFICIAM, NE SAEVO VINCAR AB
HOSTE,

TV MIHI PRAESTO VENI, TV SVFFICE
ROBORA FESSO.

HEYDELBERGAE



M. D. LXXV.

1025129

HEYDELBERG



M. D. LXXXV.

utrumque. Quia enim alius est in tribus ueribus
dicitur. Hoc preceptum meum ut diligatis inuicem.
De hac paulus ait; Plentitudo legis dilectio.
De hac iterum dicit. Inuicem onerata portate.
et sic adimplebitis legem christi. Lex etenim christi quod
congruentius intellegi quam caritas potest quam
tunc uere proficimus. cum fraterna onera ex amore
toleramus; Sed haec eadem lex multiplex dicitur
quia studiosa sollicitudine karitas ad cuncta
uirtutum facta dilatur; Quae duobus quidem
preceptis incipit. sed se ad innumera extendit.
Huius legis namque initium dilectio dei est.
ad dilectionem proximi; Sed diu dilectio per tria
distinguitur. Quia extota corde et extota anima
et extota fortitudine diligere conditor iubetur.
Qua in re notandum est diuinus quod sermo cum
domini diligere precepit. non solum in re sed etiam
informatur ex quanto. cum subiungit extota for-

